









14. 15.

J. N. J.

DISSERTATIO CHYMICA
De

ARGENTO

ET

CUPRO.

QUAM

DEO BENIGNE ADJUVANTE

PRÆSIDE

JOHANNNE JACOBO

Waldschmiedt/

Serenissimi Hassiæ Principis Medico

Cubiculari, Professore Medicinæ Primario &

Physices Ordinario, hodiè

Academiae Rectore,

Eruditorum submittit examini

WILHELMUS HULDERICUS

Waldschmiedt/ Hanoviensis.

In Auditorio Medico.

D. 17. Octobr. An. MDC LXXXV.



MARBURGI CATTORUM,

Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.



Verulamius de Augmentis Scientiarum.

Porro nimium aequè fallit ac parum. Etenim in excoctionibus & depurationibus metallorum, error est familiaris, ut ad excoctionem promovendam, aut calorem fornacis, aut additamenti, quod injiciunt, molem augeant. At illa supra modum aucta operationem impediunt; propterea quod vi & acrimonia sua multum ex metallo puro in fumos vertant & asportent, ut & jactura fiat; & massa, quæ remanet, magis sit obstinata & dura. Debent igitur homines ludibrium illud mulieris Æsopi cogitare: quæ sperarat, ex duplicata mensura hordei gallinam suam duo ova quotidie parituram: At illa impinguata nullum peperit.

Helmontius Tract. in verbis, herbis & Lapidibus est Magna virtus.

Hoc autem lubens unum admitto: Metalla scilicet, longis parasangis superare plantas atq; mineralia medendo. Ideoq; metalla esse quadam specula lucentia, non quidem ratione nitoris: Sed potius, quod quoties aperiuntur, liberanturq; eorum virtutes, agant lumine dotati & contactu vitali.

Q. D.

(3)



Q. D. B. V.

D.

THES. I.



Uamvis priori in dissertatione multis ad palatum & salivam locuti simus, fuere tamen, quibus bilem movit, quod metallorum transmutationem, & famosum philosophorum lapidem, rem extra omnem dubitationis aleam positam, & antiquam fide canonisatam, in jus vocaverimus. Verum enim vero! cum ingenii nostri cymba non cuivis auræ populi velificari soleat, qui in Philosophico hoc æquore navigantes, nullam aliam quam sanæ rationis pyxidem nauticam sequimur, nec unquam quid pro vero asserere audemus, nisi quod jam clarè & distinctè perceperimus; non nescii, omnia illa quæ apud Historicos, speciosis sub titulis, de arcani hujus possessoribus leguntur, individuum vagum tangere, & de præteritis saltem, de quibus audacius mentiri licet, loqui; nullibi enim dicitur neque legitur, N.N. arcani hujus esse possessorem: hinc haud peccasse confidimus, quod dubia quædam circa hujus Existentiã (non circa possibilitatem) moverimus, vocantes illud artem sine arte; cujus scire sit pars cum parte; medium strenuè mentiri; finis mendicatum ire; vel in patibulo superbire.

A 2

Itaq;



Itaque, ut quem cœpimus cursum, teneamus, placet im-
præsentiarum inquirere in naturam & indolem argenti, &
cupri: persuasum habentes, hanc dissertationem pretio
priori non fore inferiorem.

II.

Reperitur autem Argentum in superiori telluris re-
gione, verum suum interiori terræ parti debens ortum,
quam merè metallicam esse, supposuimus. Rarius tamen
pulum & nitidum effoditur, sed ut plurimum sub corti-
ce marcasitæ, glebæ mineralis, vellapidis pyritis sepultū
jacet. Nisi quod subinde in Potosinis Americæ monti-
bus magna quædam ejus frustra reperiantur, & tabulam
quandam argenteam, naturę industria ita efformatam, in
Saxoniz fodinis metallicis inventam fuisse, author sit A-
gricola. Veteres illud Lunam vocarunt, ob nescio quam
sympathiam, quam cum Luna cœlesti habere credeba-
tur: cui forte sententię patrocinari posset Albini obser-
vatio, scribentis: argentum semper copiosius repertum
fuisse in fodinis Schnebergensibus, sub Saturni in signum
cancris ingressu Lunâ accedente. Ast communis hic est
hominum lapsus, ut quando duo phœnomena uno co-
demque appareant tempore, statim se abripi patiantur,
ut credant, unum necessario alterius debere esse causam,
quod tamen, quam fallax sit, nemini ad omnes circum-
stantias attendenti, poterit esse in occulto. Major diffi-
cultas exoritur circa argenti principia, quod alii aquam
esse, cum authore libri inscripti *Offenbahrung Göttli-
cher Majestät* (nihil solidi & realis solô exceptô titulô
præferentis) existimant: Alii ad tria illa chymicis lau-
data principia recurrunt, provocantes ad analysin igne,
vel sale, magnis istis Naturę Architectonicę instrumentis,
insti-

42 (5) 26

instituendam, quæ sal, sulphur, & Mercurium ob oculos ponet. Verum! hæc quæ post tales solutiones cernuntur, reverâ sub peregrino apparent schematismo, novique concreti nomen merentur, nec unquam digna sunt, quæ principiorum titulis donentur, ut vel propterea persuasum habeam, neminem hæctenus aliquid de substantia argenti, vel auri abradere potuisse, nomine salis, sulphuris, vel Mercurii dignum: usque adeò profundè ignorantia tenebris immerfa est vexata hæc de Metallorum principiis doctrina.

III.

Priusquam argentum in usum vocetur medicum, necesse est, ut ope Saturni in catino depuretur, qui labor eo majorem requirit industriam, quo intimius scoriarum non solum, sed ramenta cupri, ipsi argento associata sunt, ut vix ac nec vix quidem ad unum omnia divelli possint; hinc est, quare medicamenta inde parata quandoque enormes vomitus & convulsiones membrarum sensilium in primis viis inducant, quibus cuprum infestum esse etiam tyronibus notum est. Eundem in finem fulmine & folle manuali ita excoquendum est, quo omnia heterogenea, quæ in sinu gerit, eructet: quod usque adeò difficile est, ut argentum purum, nullo amplius colore menstrua tingens, meritò inter rariora nomen sibi vendicet, quale celeberrimus Borrichius inter curiosa reservat. Porro alii argentum depurandi adhuc sunt modi, quorum unus ope Mercurii peragitur, alter cum aqua forti instituitur: circa priorem notandum est, eum in cassum institui, si vitriolum lunæ fuerit admixtum, cum illud Mercurio nunquam auscultare soleat, hinc benè monet præfatus Dn. Borrichius, ut omne

A 3

vitrio-



vitriolum prius aqua elutrietur , quâ facilius & vilius, quàm nescio quò menstruo, separari potest. Posterior spectat argenti ab auro separationem , quam sola aqua forti hoc intactū relinquente obtinebis; sed cum nihilominus sic aliis commixtum maneat metallis, solutioni, per inclinationem decantatæ, injicitur cuprum, quò luna præcipitetur: huic decantatæ solutioni adde martem, & præcipitabitur venus: hic tandem ope salis tartari vel lapidis calaminaris præcepſibit. Lapis autem calaminaris præcipitabitur liquore nitri fixi,

IV.

Circa causam harum præcipitationum (quod in transitu) authores varias eunt in sententias, dum alii eam in soluto, alii in menstruo solvente, alii in præcipitante quærant. Nos nihil aliud his in laboribus contingere existimamus, quam quandam totius liquoris modificationem, quam in pororum & texturæ mutatione consistere arbitramur. Facit hæc, ut præcipitandum sui juris factum, & augmentum ratione ponderis nactum, sponte sua ruat deorsum. Cum enim salia acida, ipsa ramenta intra amplexus suos sustinentia ex novi corporis injectione plus dilatentur, & ob configurationis similitudinem novi hujus corporis poros ingrediantur, soluta antea corpuscula, priori nunc mutata liquoris textura, nativâ suâ gravitate menstruum deserunt & fundum petunt. Idem contingit, si præcipitatio cum alcali, v. g. sale Tartari instituat, quippe hoc poros salium acidorum occludendo, & ratione ætheris cum illis ebulliendo, cœtera ramenta metallica intra poros salium acidorum natantia fundum versus deturbat: de quibus Viros undiquaq; celeberrimos Boyle, Bohn & Maëts consule.

V. Cœ.

Coeterum plures sunt qualitates, quas tum prisci tum moderni argento tribuunt, inter quas praecipua haec est, quod virtutem cerebrum juxta ac cor confortandi obtineat, quam ceu concentratam, magisque exaltatam in Tinctura Lunae, multis excomiis depraediant; quae proinde inter medicamenta ex argento praeparanda agmen ducet. Et profecto si unquam mens humana hallucinata est in determinandis virtutibus specificis, id circa lunae tincturam factum esse suspicor, quandoquidem coeruleum illum colorem soli argento in acceptis tulerunt, non attendentes, & hunc, & viridem, signum quasi pathognomonicum esse venereae virulentiae, qua lue infectum esse argentum vel ex monetis legi potest; Luna enim virginea & non adulterata nullum unquam menstruo largitur colorem, sed illud limpidum & diaphanum inde emergit, ut vel propterea ipsa haec decantata Tinctura male & mihi & aliis audiat, digna quae censorea castigetur virgula. Placet nobis Excellentissimi Bohnii hac de re judicium. Tinctura lunae, dicit, nihil incertius, cum sibi relicta lunae, id est, a cupro non adulterata, ac post habitis menstruis suspectis nihil coloris possideat, sed in solutionem limpidam & aqueam plane abeat. Huic calculum adjicit celeberrimus Borrichius, cordate pronuncians, coeruleum illum colorem, qui ubique etiam in pharmacopoliis blanditur oculis, non esse veram argenti sobolem, sed admistorum: usque adeo difficilis impetratu est vera Lunae tinctura, ut judice Rolfincio haecenus nulla genuina visa sit. Parari autem vulgo solet cum aceto, Spir. Sal. armon. Spirit. vin. sale microcosmic. volatil. exaltato, Tartar-

Tartaro vitriolato, flor. sulph. sal, armon. &c. quas tamen ad unum omnes ceu spurias rejicimus, cum color ille nequaquam ab argento sit, cujus ponderi ne vel tantillum decedit, & quocunque etiam tandem fuerit solutum modo, in argentum, ope salium, mercurii, vel Saturni, qui hoc in negotio omne fert punctum, reduci potest.

VI.

Sed unde novus ille, quæris, color? R. à toto composito, quod à soluto cupro & menstruo talem nanciscitur texturam, ut radii solares seu spherulæ æthereæ transeuntes eandem acquirant determinationem atq; modificationem, tum motus sui in directum, tum motus sui circa suos axes, qualē corporibus cœruleo colore superbientibus adscribere solemus. Huc spectant generales notæ super omnia præcipitata. 1. Quæcunque sale aliquo corroduntur & imminuntur, qualitates pristinas pro parte immutant & alias pro ratione salis adjuncti acquirunt. 2. Salia corrodentia immutant etiam subjectū ratione volatilitatis vel fixitatis. Sic metalla acido aliquo soluta magis volatilia redduntur, & nunquam in metallum pristinae naturæ abirent, nisi denuò à sale contrario alcalico ab acidis illis particulis liberarentur. 3. Qualitas in totum immutatur à salibus, ubi diversam illis particulis figuram inducunt. E quibus abunde satis elucet, quantum & solvens & solvendum à pristino suo recedant statu, ut nec solvens tantum, nec solutum tantum, sed utrumque conjunctis viribus, ut cœteras qualitates, ita & colorem suppedient.

VII.

Intereatamen famosi hujus Medicamenti patrocini-
nium suscipere videtur Experientia, rerum omnium
Magi-

97(9)25

Magistra: præterquam enim quod coerulea illa tinctura in a
 adultorum affectibus capitis, & infantum spasmodicis
 motibus sæpius auspiciato successu exhibetur, cujus vel
 ipsi testes esse possumus, etiam multum adferet solatii cœte-
 ris ægrotantibus, humores vitiosos, in primis viis restag-
 nantes, concentrando, præcipitando & quo vis modo cor-
 rigendo. Verum quis non videt committi sic fallaciam
 non causæ ut causæ? Tinctura Veneris est quæ nobis hæc
 otia fecit, quod malè argento acceptum fertur. Dein vir-
 tus antiepileptica si quæ ipsi inest non est ab argento, sed à
 toto composito, cui hæc porrigendæ fasces.

VIII.

Alterum quod ex argento parari solet remedium in-
 signitur Bezoardicum lunare. Nempe Luna solvitur cum
 spiritu Nitri, deinde huic solutioni affunditur butyri anti-
 monii cum eodem spiritu facta solutio, abstractoque in
 arenæ igne omni menstruo, habebis in fundo massam vi-
 ridescensentem, sive lunæ vitriolum, hoc est argentum à sali-
 bus corrosū. Hæc massa denuo ab igne torquetur, & præ-
 viâ semper solutione cum spiritu Nitri eousque vexatur,
 donec omnia spicula salina, quæ imbibit, vel reddiderit,
 vel ita intra poros calcis occultaverit, ut æthere suo
 massam sanguineam citra tumultum agitare & sudores
 movere possint. Omnis enim in eo locandus est labor,
 ut rigida illa ramenta, vi corrosivâ contaminata, crebri-
 oriaque affusione elutrientur, & potentiori adhibito igne
 in aliâ, dum à calore agitata metalli parietibus intra poros
 cum impetu alliduntur, torqueantur figurâ. Prodest Epi-
 lepticis, maniacis & febri ungarica correptis à ʒß ad ʒß.
 exhibitum. Puerperis autem, & infantibus, omnibusq;
 quibus systema nervinum admodum sensibile est, nunquã
 vel saltem magna cum circumspectione dari debet.

B

IX. Eo-



IX.

Eodem in labore comparari possunt crystalli lunæ, quæ sunt compositum ex venere, (vel si mavis argento) & nitro, medicamentum magnæ in hydrope efficaciam, quod ad aliquot grana in forma pilulari datum aquas in abdominis cavitate fluctuantes, vel subter cutem restagnantes, potenter educit. Processum integrum vide apud Salam. Has crystallos Illustris Boyle arcana quadam encheirisi in insigne mutavit diaphoreticum, id quod acidum invertendo, in aliam figuram contorquendo, vel solidiori cortice involvendo, factum esse arbitramur: cum vel furibundus Mercurius Vitæ dictus ope amalgamationis cum Metal-
lis ita cicurari possit, ut in morbis chronicis curandis magnæ expectationis fiat remedium.

X.

Ab his parum differre videtur lapis infernalis, seu causticum perpetuum, quod pisi magnitudine, vel mille fonticulis excitandis sufficit. Siquidem ex iisdem componitur ingredientibus, nisi quod in modo componendi aliqua intercedat diversitas, quæ facit ut hoc potentius & fortius vim suam corrodentem exserat. Idem ex cupro parari posse author est Lemery, minus tamen constans & diuturnum, & in aere facile liquefcens. Conducit quoque in excrescentiis carnis consumendis & fistulis dilatandis.

XI.

Agmen tandem claudit Arbor Dianæ sive Philosophica, quæ admiranda sua pulchritudine oculis blanditur, ut in re medica nullius sit usus. Paratur ex argento spiritu Nitri soluto. Huic affunditur aqua Mercurialis, ita ut vitrum ad collum usque impleatur, ponantur in loco frigido per 40, Dies, & explicabit se sal Nitri in fruticem,
ut

(II)

ut jucundo spectaculo cernere possis ramosam arborem, cum Globulis Mercurialibus fructus mentientibus. Non putandum est, latere hoc in compositio vim quandam plasticam, vel formam aliquam substantialem architectonicam, omnia pro nutu suo ita disponentem: nitrum est, quod ita ludit, & pro varietate occursum aquae, vel aeris, sub vario inter crystallisandum apparet schematismo, hinc videmus in potestate artificis situm esse, ut pro ratione majoris vel minoris quantitatis aquae, qua Mercurius excipitur; ipsam configurationem aliter atque aliter modificare possit. Ipsa equidem salia, ramentis metallicis commixta, inter crystallisandum varias quandoque induunt figuras: Sic Borrichius Regi suo ostendit salem viridem, evaporatae tincturae solis, solo aceti communis plegmate sine igne paratae, residuum, quod deorsum corporeos sparsit radios, sed longos & tenuissimos, orientis Solis radiis non dissimiles, nisi quod albicantes fuerint, sursum autem virides exporrexit ramos graminei coloris: plura vide apud ipsum Authorem de metallorum dissolutione rara. Tantum de argento.

♀.

XII. **C**Uprum, ob venustatem & colorem flavescen-tem vel rutilantem venus dictum, est Metallum sui generis, ductile & fusile, intra viscera sua aliorum metallorum praesertim Solis, lunae, vel ferri particulas recon-dens, caeteroquin nunquam in aliud metallum transmutabile.

XIII.

Natura sua est acre, nauseosum, subvertens ventriculum & intestina fibrasque nerveas vellicans, ut rarius & non nisi correctum in medicum veniat usum. Praestare scribit Sala aphor. 37. Quod cuprum quocunque etiam modo

B 2

para-

paratum intus sumere religio sit, & quod malignitatem quandam habeat, quæ difficulter tolli possit. Quoniam non solum variæ scorix metallicæ ipsi adhærent, sed quia à quovis occurrente acido rosunt tã facile in \ominus vel viride æris mutatur. Itaq; locum hic habet aureum illud monitũ. Nectumide; nectimide! Si enim virulentum hoc metallum periti artificis laboribus fuerit submissum, suas in arte medica merebitur laudes, magnarum virium in curandis morbis tum internis tum externis futurum remedium. Id quod magnus novit Helmontius, scribens: nihil æquè victoriosè in humidum radicale agere atq; primum Ens cupri.

XIV.

Non possumus stare figmentis veterum, qui ob anilem forte fabulam illud utero, & partibus generationi dicatis, potissimũ suas consecrassè qualitates, persuasum habuerit; cum appropriatæ illæ, & nescio qua affinitate conjunctæ huic potius visceri quam alii potestates medicaminũ, imaginaria sua possessione nunc exutæ & de ponte dejectæ sint. Omnia enim quæ præstant hæc ex cupro parata medicamenta, vel in primas redundant vias, vel in sanguinem exporriguntur, ut partes solidæ non nisi consequenter aliquod inde levamen foenerari possint.

XV.

Primum in remediorum internorum ordine meretur locum Ens Veneris, ab illustri Boyle in Philosophia Experimentalis, lectu profectò dignissima quod admiranda nobis revelet secreta tum physica tum medica, commendatum. Ejus compositionem ingreditur Vitriolum sive Magisterium Veneris, vel juxta quosdam, caput mortuum Veneris; Vitriolum paratur juxta Febure ex Venere & spiritu salis armoniaci acido, deinde volatile hoc magisterium sublimatur cum anatica portione salis armo-

15.
armōniaci; flores collecti, qui non tam veneræ quam ar-
moniacalis videntur esse profapiæ, vocantur Primum
Ens Veneris. Medicamentum quod vix sui habet simile
in demulcendis vigilis ex cruditate ventriculi ortis. In-
infantum Rachitide curanda omne fert punctum à gr. j.
ad vj datum. Corrigit omne acido austerū in primis viis,
& liquorem gastricum ad æquilibrium reducit. In inve-
teratâ Gonorrhœa cæteris omnibus palmã facit dubiam.
Verbo! omnia illa quoq; præstare videtur, quæ arcanum
duplicatum aliàs efficere solet. Vires ejus multis extollit
encomiis Majow. Inter remedia, inquit, quæ in hoc affe-
ctu (rachitide) probantur, celebratissimū est illud à Nob.
D. Boyle inventum, cui nomen est Ens Veneris. Compo-
nitur ex sale armoniaco & Colcothare edulcorato, bis aut
ter simul sublimatis. Dos. gr. iij. ad vj. in conveniēti liquo-
re hora somni. Medicamenti istius efficaciam à sale Ar-
moniaco præcipuè oriri existimo, utpote quod ob sum-
mam partium suarum tenuitatē ad obstructions, mor-
bum hunc efficientes tollendas, maxime idoneum est. Et
utiq; probabile est, flores salis Armoniaci æque, aut etiam
magis, in hoc affectu profecturos esse: quippe dum sal Ar-
moniacū una cum colcothare sublimatur, sulphur quod-
dam narcoticū Colcotharis, indolis Terreæ, aut cupreæ,
una cum sale Armoniaco in altum ascendit, Sulphur autē
istiusmodi morbo huic non minus convenire videtur.

XVI.

Alterum, quod sequitur, est Spiritus Veneris, tanti à Zwölffero
æstimatus, ut eum in secretis habuerit, & liquoris Alcahest nomine
donaverit, apud quem genuinam ejus vide descriptionem. In ejus
preparatione patiens esto, & ignem per Gradus prudenter & pede-
dentim augeto, alias vasa magna vi rumpuntur. Laudatur in Hypo-
chondriaca, Quartana, Epilepsia, melancholia, ob vim suam incisivā
& aperitivam. Magna de Spiritus hujus indole & natura lis orta fuit

B 3

inter

inter Zwölfferum & Tachenium; Cum enim ille ejus virtutes ad cælū usq; extolleret, hic demonstrare conatus fuit, eum nihil aliud esse, quam Aceti spiritum, neq; vires ejus superare posse. Verum regressit Zwölfferus, æruginem in Gallia non parari cum aceto, sed cum recrementis uvarum & urina, adeoq; debere de alkali volatili participare. Quod Alter cachinnis excipit & in Clave Medicinæ Hippocraticæ solidissimis ostendit rationibus, eum ab aceti spiritu nequaquã differre, & ambo in effectibus convenire, nisi quod spiritus veneris, vulgari spiritu aceti magis dephlegmatus, & volatilis, adeoq; activus magis sit. Uterq; fateor suos habuit Patronos; quod si tamen rationes utrinque allatas æquã trutinem lance, Tachenio assentiendum esse existimo. Sed nolo litem hanc jam meam facere, hoc saltem negari nequit, spiritum hunc usq; adeò penetrantē esse, ut Magisteria solubilia juxta methodum Zwölfferianam parata vix ita dulcificari possint, ut non aliquid de acido hujus spiritus in recessu detineant, unde non amplius ea gaudent existimatione ob latentis corrosivi salis suspicionem, quali quidem ob gratam novitatem primò ab omnibus excipiebantur.

XVII. Ex eodem spiritu componitur celebratus ille spiritus asthmaticus D. Michaelis, qui cum Gummi ammoniaco & Sulphure prudenti sub ignis regimine destillatur. Et ad ℥j vel ℥ij. cum aliis aquis pectoralibus miscetur ægrotanti per intervalla propinandus. De quo Etmüllerus in sua praxi cap. de Respirationis vitiis.

XVIII. Caput mortuum in fundo relictum denuo calcinatū abit in crocum, qui ob vim consolidandi & ulcerosum acre corrigendi haud postremum inter vulneraria obtinet locum: Hunc alii per calcinationem cementatoriam parare solent, ut ingrediatur famosum Emplastrum Oppodeldoch dictum. Vide Schröderum.

XIX. Tertium in ordine occupat locum arcanū contra Vermes Timæi à Guldenkleé, cujus descriptionem communicavit in Epistolis. Dicam tibi ingenue, quid mihi contigerit. Paravi illud juxta ejus descriptionem, verū nunquam potui vim emeticā, quā Θ -lum Veneris pollet, adimere, quicquid etiã frequentioribus lotionibus & exsiccationibus fuerim molitus. Quod si Te Fortuna æquiori aspexerit oculo, equidem non invidebo, qui spe mea frustratus arcanum hoc nunquam iterum in usum medicum vocaturus sum.

XX. Hujus vestigia legit Tinctura Veneris celebris in Belgio
Practi-

Practici Helvetii, qua in infantū atrophā cum abdominis intumescētia, malo frequentissimē in praxi occurrēte, nec non in Epilepsia læpius mira præstitit. Prodest quoq; in mensū suppressione, & Gonorrhæa inveterata & virulenta. Qui persuasū habent, se ejus compositionem explorāsse, putant esse solutionem Vitrioli veneris prius cum sale armoniaco fusi, dein cum alcohol vini digesti. Datur à gutt. j. ad vj. vel xij. in aqua Ceras. nigr. antihectica, pulegii, graminis, vel aliō aliquō appropriatō vehiculo.

XXI. Paria si non plura, minori tamen cum periculo in affectibus externis adhibenda, remedia nobis quoq; promittit cuprum, dum in æruginem sive æs viride & in vitriolum mutatur. Illud notissimum chirurgis unguentum Ægyptiacum dictum ingreditur, & in ulceribus putridis, excrescentiis gingivarum earundemq; putredine, haud exiguam spondet opem. Hoc constituit famosum illum pulverem sympatheticum, qui olim omnium oculos in se convertit, nunc autem, mirum quantum! ab autoritate pristina declinavit. Velum itaque subtrahendum & objectum Glaucoma discutendum est, quo imaginaria hæc vis sympathetica tenues abeat in auras, aurā quā hæctenus excepta fuit indigna. Sciendum enim est, naturam vulnera curare, non medicum, qui saltem impedimenta tollit, dum aliena è vulnere eximit, sordes abstergit, labia conducit & aeris accessum prohibet. Quibus probè observatis totum negotiū pro voto succedit, & vulnus brevi coalescit. Sed si attendamus ad circumstantias, circa pulveris sympathetici usum religiosè observandas, plures superstitionem sapiunt, pro forma, & ut imaginationi pondus addant, excogitata. Quippe vulnere curando hoc unicum sufficit, si vino prius elotum panno mundo obtegatur. Cætera sunt adiaphora, credat ea qui velit, cū nec profint nec noceant. Sed mundus regitur opinionibus, præsertim in re Medica, ubi magna vis inest verbis, vestibus, herbis & lapidibus: Et omnis homo extra professionem suam quid agens sit admirabilis. Sipienti sat!

XXII. Egregium quoq; Ophthalmicum describitur apud Salā ex cupri flavi bracteati ꝑij & vino Malvatico. Stent plures per dies in digestionē, donec liquor evadat viridis. Vocatur *das arüne Augensasser*. Prodest in albugine, suffusione & maculis. Ejusdem notæ est aqua viridis, ex æruginē, nec nō saphireā ex calce viva, sale armoniaco & ♀ apud Schröderum. Sed omnes ob mordacitatem parca manu

manu sunt instillandæ. Solent nostrates laquam scoriarum cupri, sive in qua cuprū extinctum est, comendare in scabie, quā manus scabiosas sæpius lavare jubent ad cutem detergendam & poros restituendos. Tandem elegantissima adhuc parari potest tinctura in vase æneo ex ∇ Calcis vivæ cum sale armoniaco & vitriolo, vi polens sedativâ & anodynâ in arthritide, inflammationibus & gangrænæ metu, foris linteis imponenda: Inservit præterea Thermoscopiis, ut & Anatomicis, pro demonstrandis & discernendis vasis capillaribus viscerum, cerebri, Hepatis, & renum, per Syringā injicienda, præsertim si cum spiritu urinæ præparetur, negotio huic magis apto. Eiusdem elegantiae Tinctura paratur etiam per destillationem, iisdem cum priori prædita qualitatibus. Color hic per varias metamorphoses mutari potest nunc in album, mox iterum in cœruleū, tandem in viridem, prout videlicet nunc Ol. tartari per deliq. nunc Spir. vitrioli, nunc urinæ vel fuliginis spiritum, instillaveris.

XXIII. Antequam autem hinc abeam, tribus saltem verbis agā de Qris dealbatione, quæ in superficie mutatione saltem consistit; cum intus nativum suum retineat colorem. Instituitur autem vel in igne aperto per modum quendam fusionis c. arsenico & Mercurio sublimato. Vel per coctionem, quæ dealbatio rectius deargentatio vocatur, & hunc in modum instituitur \mathcal{R} . Fol. Da. \mathcal{Z} j. calcinentur in crucibulo cum sale communi. Hujus pulveris \mathcal{R} . p. iij. Aqu. pluvial. q. s. coquantur omnia simul. Tunc Cuprum, ignitione & sabulo ab omni immunditie liberatum, immitte, coquantur iterum ad Horā dimidiam & deargentabitur cuprum. Salia enim ob ætheris motum quaquaversus vibrata impetum faciunt in venerem, quæ præcipitando lunam, eam undiquaq; superficie sua excipit, & ejus albam induit vestem. Sin aureum expectes colorem \mathcal{R} . Cupri fusi \mathcal{L} ij. adde tantum sulphuris, usq; totum deflagaverit. Hoc facto sume auripigmenti q. v. funde & in aceto per 24. vices extingue: jam fiat S. S. S. cum farina laterū, Nitro, Tartaro auripigmento & Cupro. Ordine probè observatō exponantur omnia in Crucibulo primò igni cementationis, deinde fusionis, & si rectè processeris, habebis cuprū auratum in folia instar auri ductile & extensibile. Boyle tentavit id mediante Zinco, certa quadam ratione rite cum cupro mixto, quò illud aureo imprægnavit colore. Si præter hos alios adhuc evolvere velis processus, lege part. X. & XVI. Miscellaneorum D. Becheri, p. m. 567. & 517. Nunc manum de Tabula!

01 A 6512 (A)

ULB Halle 3
002 937 31X



£

TA → OL

nur Stück 10 bisher verknüpft
und Stück 39

R

VD 17





14. 15.

F. N. F.
 DERTATIO CHYMICA
 De
GENTO
 ET
CUPRO.
 QUAM
 BENIGNE ADJUVANTE
 PRÆSIDE
ANNE JACOBO
Waldschmiedt/
 in Hassiæ Principis Medico
 i, Professore Medicinæ Primario &
 Physices Ordinario, hodiè
Academiae Rectore,
 Eruditorum submittit examini
LMUS HULDERICUS
Waldschmiedt/ Hanoviensis.
 In Auditorio Medico.
 D. 17. Octobr. An. MDC LXXXV.
 * * * * *
 MARBURGI CATTORUM,
 JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.

